

125

IN FRAGMENTUM  
CONCILII ROMANI  
MONITUM  
LUDOVICI ANTONII  
MURATORII.

**S**edente in Apostolica Cathedra Nicolao I. habita est Romae complurium Episcoporum Synodus, quam Labbeus intulit in Tomum VIII. Conciliorum pag. 767. ac subinde in suam eorundem Conciliorum editionem Cl. P. Harduinus: uterque vero eandem spectare ad Annum 863. nos monuit. Praeposita est hujus Concilii Actis Epistola ipsius Nicolai I. tum subsequuntur *Capitula V.* quorum etiam est mentio apud Gratianum in Decreto. Quinque tantummodo dixi haecenus edita; sed alia ibi sancita fuisse, quum inter Ambrosianae Mediol. Bibliothecae MStos Codices olim versarer, deprehendi in Cod. D. 76. eaque in mea adversaria retuli, aliquando editurus. Nunc ergo eadem paucis aliquot notis aucta Lector quoque accipiat, ad Seculi IX. Historiam Ecclesiasticam aliquid lucis allatura. Ad *Johannem Archiep. Ravennatem* quod attinet, in hoc Romano Concilio anathemate percussus, legendus est Anastasius Bibliothecarius in Vita Nicolai I. Tom. III. Rer. Italicar. cujus etiam verbis Baronius ad Annum 861. rem quomodo peracta fuerit describit. In haec autem verba loquitur Anastasius: *Eodem tempore Papa praedictus ter ad Synodum suis literis eum (idest Johannem Ravennatem) vocavit; & ille venire contemnens, a Sancta Synodo communionem privatus est.* Tum dicere pergit, ipsum Ravennatem ad patrocinium Ludovici II. Augusti Ticinensi in Urbe morantis confugisse, atque cum Augusti Legatis Romam accessisse. Pontifice in suis decretis constante, is abiit; at non modico tempore interposito agnoscens, nihil aliud quam animum humilem & obsequentem posse delinire strenuum Disciplinae assertorem Nicolaum, victas manus dedit, atque in altero Concilio Romano sub certis conditionibus & pactis communioni fidelium restitutus est. Haec fuisse narrata ab Anastasio. Nunc vero animadvertendum est, primum Concilium Romanum, ubi de pravis actibus Johannis Ravennatis actum fuit, primum fuisse editum a Clariss. Bacchinio ex insigni Tabulario Cathedralis Mutinensis in Appendice ad Agnellum: idemque habes rursus evulgatum Tom. II. Collectionis hujus. Habita vero dicitur illa Synodus *Pontificatus Domni Nicolai Summi Pontificis & universalis Papae Anno IV. Imperii piissimi Augusti Ludovici Anno XI. die octavo decimo, mense Novembris, Indictione X.* hoc est Anno 861. Sed quum Johannes in sua pervicacia persisteret, in altero subsequente Concilio itidem Romano adversus illum anathema est pronuntiatum. Spectat autem Synodus ista ad Annum 863. atque ad illam referenda sunt Acta, quae nunc publici juris facio. Tertium Concilium pariter Romanum, in quo reddita est eidem Johanni gratia Apostolicae Sedis, viderint alii, quo Anno sit statuendum.